

# BREVIS IN OVIDII VITAM ET OPERA

## ENARRATIO

Vobis omnibus, ornatissimae auditrices, auditores umanissimi, imo ex corde propter frequentiam vestram nec non animi intensionem, qua pauca estis de Ovidii vita et poesi audituri, quoddam incommodum toleraturi, haud parvos subituri labores, haud leve passuri incommoda, plurimas ago gratias et maximas. Sed hac tempestate, mihi, hoc in praeclari Athenaeo denuo versanti, nihil est vel gratius vel dulcius vel denique laetius, cum Roberto, quo nullus amicus carior, tum praesertim Mirano, Litterarum Christianarum et classicarum facultatis Praesidem, cui sum fraterna iunctus amicitia, lubenti animo singulares et ingentes persolvo gratias, quoniam me, tanto ac tam magno indignum honore, rogaverunt, ut hanc oratiunculam coram vobis de Ovidii vita et carminibus haberem. Quibus amicis rogantibus, tam caris amicis hortantibus, his amicis sollicitantibus, nec abnuere nec renuere nec recusare potui. Ideo, quibus breviter summamque prolatis, hanc adgredior oratiunculam de Ovidii vita, quae secundis rebus felicibus casibus fuit optima, adversis rebus contra relegatione atrox, principis ira saeva. Tanto enim ac tam feraci ingenio, ars et poesis, quae aliis viris fuerunt ornamento, Ovidium damno ac derimento fuerunt, in maximas aerumnas duxerunt.

Inter omnes Romanorum poetas, qui Augusti aetate floruerunt, Ovidius ob innumeros carminum libros potissimum obtinet locum: merito enim una cum Lucretio et Vergilio est maximus ducendus poeta, quoniam, epicis usus modis, longissimum panxit carmen, quod, *Metamorphoses* inscriptum, est in XV libros divisum. Idem vero poeta, cum imparibus sit praesertim modis usus, elegiarum scriptorum est iure princeps habendus, quoniam primus fuit, ut ipse scribere non dubitavit, *tenerorum lusor amorum*:

*Quaere novum vatem, tenerorum mater Amorum:  
reditur hic elegis ultima meta meis;  
quos ego composui, Paelignis rursus alumnus  
(nec me deliciae dedecuerunt meae).*

P. Ovidius Naso, uti constat, unus est Romanorum poeta, qui praecipuas vitae suae notitias per amplam et luculentam elegiam posteris tradidit. Natus est Sulmone, quod ob poetae nomen clarum fuit in Samnio oppidum, in Pae-

lignis, a. d. XIII Kal. Apr., eo ipso anno, quo inter bellum Mutinense uterque consul vitam amisit:

*Sulmo mihi patria est, gelidis uberrimus undis,  
milia qui noviens distat ab urbe decem.  
Editus hic ego sum, nec non, ut tempora noris,  
cum cecidit fato consul uterque pari.*

Uterque enim consul mortem, ut est a rerum Romanarum scriptoribus traditum, a. XLIII a. Chr. n. inter bellum Mutinense vitam amiserunt. Eodem quidem anno a. d. VII Id. Dec. apud Formias per Antonii et Octaviani sicarios necatus est Cicero, summus Romanorum orator et scriptor. Multo Vergilius iunior, Ovidius, cum est apud Actium bellatum, XII agebat annum. Ideo poeta illa vixit aetate, quae est haud foruito *Pax Augusta* nuncupata. Nam multa post decennia, bellis et aliis aerumnis funestata, tam mirificum pretiosumque donum Augustus tandem comparavit et Romanis ispius ob munificentiam largitus. Sed non omnes tam magnum donum plurimi duxerunt, quoniam plerique cives, quamvis aegre bellorum damna tolerassent et moleste essent multa incommoda passa, pacem illam, quae feraciora ingenia quam quae maxime aluerat ac foverat, aliquid aequum tamen et necessarium duxerunt. Aurea hac aetate vitam Ovidius degit ac tam multos carminum libros ulla sine cura pangere potuit.

Equestri loco natus, Ovidius, XII annum agens, ut grammaticam disceret et rhetoricam, est a patre Romam deductus, ubi M. Arellium Fuscum et M. Porcium Latronem tanta audivit diligentia, ut paucos post annos, et ipse, ubi alas ad volatu idoneas sensit, haud secus ac innumeri aequales, ad artem oratoriam exercendam, coram ipsum Arellium Fuscum luculentam ac disertam habuit suasoriam. Quam forte audivit Seneca quoque senior, qui praeter praecipuos locos, haec de adolescente scribere non dubitavit: "*Oratio eius iam tum nihil aliud poterat videri quam solutum carmen*". Paulo post idem orator, cum iuvenis memoriam adumbraverit, non sine admiratione dicit: "*Declamabat autem Naso raro controversias et non nisi ethicis*".

Ceterum Ovidius ipse, qui nec forum nec cursum honorum sibi parum idoneum putabat, ubi primum quibus Musarum donis se ornatum conscius esse sentit, hoc sine pudore confiteri audet:

*At mihi iam puero caelestia sacra placebant,  
inque suum furtim Musa trahebat opus.  
Saepe pater dixit: "Studium quid inutile temptas?"*

*Maeonides nullas ipse reliquit opes”.*  
*Motus eram dictis, totoque Helicone relicto*  
*scribere temptabam verba soluta modis.*  
*Sponte sua carmen numeros veniebat ad aptos,*  
*et quod temptabam scribere versus erat.*

Ovidius enim paene adulescens se natura ad poesin ductus sentit et nihil prorsus facit, ut ingenium in patris vota vertat. Si enim patris praeceptis paruisset, si patris consilium perfecisset, si denique patris esset exemplum et mores secutus, doctissimus et facundissimus evasisset orator, amplos consecutus esset honores, magnificentissimas sibi comparasset villas, ingentes divitias congesisset, sed Musae lugerent, litterae Latinae magno carerent poeta, nos tanto magistro orbarem et nos, qui litteras Romanas et Musas colimus, tam suavibus carminibus privaremur. Neminem enim latet Ovidium per suos carminum libros, tristissimis labentibus temporibus, multa aluisse aque alere ingenia, quae hominum mulierumque praesertim animos inquirere et vestigare cupiant. Ovidius enim adulescens in hominum animos, amore captos, mentem ea vertit spe, ut nullum amantis fugeret consilium, nulla mulieris praesertim lateret sollicitudo, nullus humani animi motus falleret, qui aut comprehendi aut enarrari aut scribi posset.

Quam ob rem in omnibus Ovidii carminibus amor principem obtinet locum, quia ipse adulescens est amoris curas expertus, eius sollicitudines cognovit eiusque morsus sensit, eius deliciis gavisus eiusque maeroribus contristatus. Ideo rhetorum scholis relictis, ad studia perficienda sollicitus Athenas contendit. Nam temporibus illis innumeri iuvenes, qui erant magnis divitiis ornati et optimis rebus instituti, Athenas praesertim eo petebant consilium, ut doctissimos audirent magistros, eruditissimos virorum coetus ventitarent, illas funditus cognoscerent et discerent artes, quae tantum praeclara illa urbs tradere ac docere posset.

Ovidius autem aliquot annos Athenis commoratur, ubi in maximos incumbit poetas, in quibus Euripides et Callimachus praecipui sunt habendi. Ille enim Ovidium docet quomodo sit mulieris animus perscrutandus, hic vero quod elegiae genus eligendum quaeque denique fabulae sint canendae, qua cura sit elegia conficienda. In Graecia, multos alios aequales secutus, ad Pompeium Macrum, praeclarum magistrum et poetam, se confert, ut illam discat artem, quae Musis faventibus, tum temporis acre alebat ingenium. Quo magistro duce, Asiae et Siciliae urbes peragrat:

*Te duce magnificas Asiae perspeximus urbes,*

*Trinacris est oculis te duce visa meis;  
vidimus Aetnaea caelum splendescere flamma,  
subpositus monti quam vomit ore gigans  
Hennaeosque lacus et olentia stagna Palici,  
quamque suis Cyanen miscet Anapus aquis.  
Nec procul hinc nympa est quae, dum fugit Elidis amnem,  
tecta sub aequorea nunc quoque currit aqua.*

Una cum magistro, dum multa loca videt, hominum mores cognoscit, artem, doctrinam et eruditionem comitis experientia auget:

*Et quota pars haec sunt rerum quas vidimus ambo,  
te mihi iucundas efficiente vias,  
seu rate caeruleas picta sulcavimus undas,  
esseda nos agili sive tulere rota.*

Doctus et disertus magister omnibus modis facit, ut discipulum adiuvet, itineris taedium vitet, auditoris animum idoneis delectet dissertationibus. Nam haud fortuito Ovidius, cum epistolam ad magistrum scribat, hoc utitur syntagmate: *te mihi iucundas efficiente vias*. Ita praecepta magistri memoria tenet, ut se abstinere non possit, quin saepe ad felices illos redeat dies. Illa tempestate ambo felices fuerunt et alter alteri loquendo auxilium praebuit. Hic vero poetae vox audiatur oportet:

*Saepe brevis nobis vicibus via visa loquendi  
pluraque, si numeres, verba fuere gradu.  
Saepe dies sermone minor fuit inque loquendum  
tarda per aestivos defuit hora dies.*

Saepe atque iterum Ovidius, in Getas Augusti iussu relegatus, cum felicissimum illud memoret iter, dulcem ad Macrum mittit elegiam. Inter tristitias atque adversitates, in iucundos illos dies, quibus Athenis una cum magistro de poetis disserebat, haud raro mentem vertit, ut acres solitudinis curas breve saltem temporis spatium ex animo contristato fugat. In tanto ac tam aerumnoso maerore, in exulis mentem illa artis amorisque studia saepe revertuntur et poeta magna cum animi aegritudine, magno cum animi dolore, magnis corporis cruciatibus ob caeli inclementiam, quamvis sero, coram magistro se errasse profitetur:

*Naso parum prudens, Artem dum tradit amandi,  
doctrinae pretium triste magister habet.*

Dum autem Romae inter delicias et divitias, inter luxuriam et molliam, inter magnificentiam et splendorem vitam solutus liberque degit, illam ob artem, quam maximo didicerat amore, se in longinquis illis locis periturum minime putat. Magister contra, cum alterum, idemque securius, poeseos genus colat, tranquillior agitur vitam:

*vel studiis quibus es quam nos sapientius usus,  
utque decet, nulla factus es Arte nocens.  
Tu canis aeterno quicquid restabat Homero,  
ne careant summa Troica bella manu.*

Sed genus epicum, principum aetate minus insidiosum et periculosum a ceteris poetis putatum, Ovidius minime sibi idoneum ducit, quia vel indole vel natura aut maxime rei novitate in genus amatorium, quod pari felicitate et honore tum temporis Tibullus et Propertius ad summum splendorem perduxerunt, paene adulescens ferax ingenium vertit, quoniam se ad illud poeseos genus quam qui maxime proclivem idoneumque ducebat.

Cum autem Romam, longis itineribus peractis et multis civitatibus visis, revertitur, quamvis sit optimis rebus institutus et copia dicendi et facultate praeditus nec non suadendi arte ornatus, Ovidius tamen Forum, in quo rhetorum princeps profecto evasisset, omnino relinquit, quia operam forensem, quae multis divitiarum et honorum fons fuit et origo, vile ac vulgare mercimonium putat. Cum enim se huius eloquentiae genus pudeat ac pigeat, hoc apertis verbis scribit:

*turpe reos miseros defendere lingua;  
quod faciat magni, turpe tribunal, opes.*

Cicero enim, quem honestus pater filio adulescentulo exemplum ad imitandum profecto proponebat, non solum ingentes divitias congescit, sed summum etiam consulatus honorem, multis nobilibus invidentibus et obtrectantibus, arte et rhetorica, virtute et audacia, levitate et impudentia pervenit. Nam doctus ac disertus orator Arpinas magna cum celeritate et facilitate magistratum omnium gradibus ascendit. Sed Ovidius, poeseos amore devinctus et carminibus amatoris contemendis intentus, tam clari viri vestigia sequi noluit, immo ipse, quasi tantum voluisset, omnium maximus evasisset orator, artis rethoricae fastidio afficitur. Ceterum illis temporibus ex Italicis provinciis nobiles et divites equites Romam filios adulescentulos mittere solebant ea ducti spe fore ut, claris magistris auditis, parentum vota adimplerent et, omnibus magistratum gradibus ascensis, in subselliis habitarent et,

civium benevolentia per oratoriam artem capta consulatum adipiscerent et in senatus ordinem ingredientur. Quibus quidem de causis praeter Ovidium sunt a parentibus Romam missi Catullus, Vergilius, Livium et omnes fere poetae novi. Hic vero nullo modo praeterire possum, quin M. Valerium Martialem et D. Iunium Iuvenalem memorem. Qui, cum clari a subselliis viri fieri possent illis saltem temporibus, quibus delatores ingentes in dies divitias congebant et violentibus exactionibus nec non crudelibus minationibus divites et potentes territabant, tristem clientis condicionem tolerare quam inhonestis modis tranquilliores vitam sibi comparare maluerunt.

Cum autem Ovidius Romae moraretur, est in coetum illum ingressus, cui Valerius Messalla Corvinus praerat. In tam clarorum virorum frequentia ferventis adolescentis ingenium ad carmina amatoria pangenda stimulum et incitamentum invenit, quoniam illius coetus participes, cum rem publicam putarent alienam, nulla tamen libidine adesentandi nulloque erga potentes et dominantes odio afficiebantur. Cuius coetus poetae insuper, cum poesin tantum colerent atque amorem, nullam hanc cupiditatem, nullum dominantis studium, nullam dominantis obtreccionem nullum denique in quemquam livorem alebant.

Hic vero Ovidius adolescens civibus Romanis primos et maturos poeseos praebuit fructus, qui tam magnam fortunam fecerunt poetae, ut quidam rhetores et causidici tam fecundum et praestans ingenium, cum Forum eiusque leges despexisset, nec immerito obiurgarent. Ideo Ovidius, qui erat versus pangendorum facilitate praeditus et poeseos studio captus, per hos versus ingenitam naturam docet:

*Quid mihi Livor edax, ignavos obicis annos,  
ingeniique vocas carmen inertis opus;  
non me more patrum, dum strenua sustinet aetas,  
praemia militiae pulverulenta sequi,  
nec me verbosas leges ediscere nec me  
ingrato vocem prostituisse foro?  
Mortale est, quod quaeris, opus. Mihi fama perennis  
quaeritur, in toto semper ut orbe canar.*

Per Quos quidem versus poeta Sulmonensis se veram et imperituram famam per poesin tantum, tempore progrediente, adipisci confitetur. Quae adolescens praesagus de se, ut vates, sentit, sunt omnia vera facta, quoniam natura, cum res vel secundas vel adversas expectatione erecta gubernet, dilectissimos ac diligentissimos filios, qui ingenium rectum in modum et ad homines progrediendos atque erudiendos, ad societatem honestandam idem

adhibent ingenium, nec deceptit, nec decipiet. Quae cum compertum habeat, Ovidius nihil enim poesi nobiliter, nihil carminibus condendis potius, nihil Musarum donis pretiosius merito putat meritoque superbit. Tantis igitur muneribus ornatus, quae, cum imperitura sint ab omnibus ducta, summus ac supremus rerum conditor perpaucis ingeniis donat, merito Ovidius, merita superbia elatus, dicere audeat: *in toto semper orbe canar.*

Quae cum scribat, Ovidius hos profecto Horatianos memoria tenet versus:

*non omnis moriar multaue pars mei  
vitabit Libitinam: usque ego postera  
crescam laude recens dum Capitolium  
scandet cum tacita virgine pontifex:  
dicar...*

*... ex humili potens  
princeps Aeolium carmen ad Italos  
deduxisse modos. Sume superbiam  
quaesitam meritis et mihi Delphica  
lauro cinge volens, Melpomene, comam.*

Ceterum praeclarus quoque poeta Venusinus, *ex humili potens*, nullum alit dubium, quin apud posteros illa Musarum laude memoretur atque ornaretur. Quibus Musarum muneribus fisis, tantam elata voce profert fiduciam Ovidius, qui armorum divitiarumque meritis spretis, Fori nomine despecto et urbis rumore semoto, ut Horatius, illa libenter accipit merita, quae Delphica laurus comas electas et dignas imperitura laude cingit.

Naturam autem et indolem secutus, Ovidius omnia festinatae naturae incommoda et damna cautus vitat, quia cultum, callidum et argutum ingenium, cum in nullum unquam incidat impedimentum, novos canendi fontes invenit, novas carminibus effusiones continuo reperit, constantem et diuturnum cum excogitationi tum poesi praebet fluxum. Hac vitae tempestate, Ovidius Catulli poetarumque novorum vestigia sequitur et innumera carmina quadam cum felicitate pangit.

In tanta autem carminum conficiendorum sedulitate atque celeritate Ovidius ad XX fere aetatis annum primum *Amores* tum *Heroides* edit. Quibus quidem operibus, quae minime ab adolescente scripta videntur, poeta non solum sibi magnam est celebritatem adeptus, verum novum etiam carminum conficiendorum genus cum tum temporis poetis tum cultioribus ostendit civibus. Utrumque autem opus, cum novum amoris experimentum doceat, novos et alios adhuc aut inusitados aut intemptatos amoris exhibeat fructus, ampliorem doctrinam atque eruditionem nec non praestans et acutum inge-

nium ostendisse neminem fugit. Brevi temporis spatio Ovidius omnibus lectoribus feracior Tibullo Propertio et lucidior, Catullo blandior videtur. Poetae nomen clarum per urbem volitat; nullus est, qui Ovidium ignoret eumque omnium maximum poetam ducat. Hic vero illum Quintiliani locum referre consentaneum videtur:

*Elegia quoque Graecos provocamus, cuius mihi tersus atque elegans maxime videtur auctor Tibullus. Sunt qui Propertium malint. Ovidius utroque lascivior, sicut durior Gallus.*

Cur G. Cornelius Gallus vel Tibullo vel Propertio durior sit, praeclari rhetoris sententia, nullus eruditus vir aut philologus aut investigator nostris temporibus adseverare valet, quoniam pauca et exigua elegiarum fragmenta, quae ad nostram aetatem pervenerunt, faciunt, ut nullam certam et invictam praebeant opinionem.

Cum autem compertum habeamus Q. Marcum Fabium Quintilianum, cum quae sensisset de quodam poeta scriberet, perraro in errorem incidisse vel ingenerosum animum praebuisse, vera et aequa haec quoque sententia est habenda.

Pulchrum esset de his agere rebus, sed maioris pretii premunt res, quae ad Ovidium reverti iubent. Qui, cum clarum Corvini coetum ventitaret et iuveniles scriberet versus, primos magistratus inivit: primum enim ad collegium centumvirale accessit, tum est decemvir stlitibus iudicandis factus. Quod collegium decemvirale munera iudicialia in urbe gerebat. Paulo post est tresviri munere functus. Sed incertum est utrum monetalis fuerit aut capitalis. Quamvis esset ad superiores magistratus aptus, ulterius accedere noluit. Cur ceteris magistratibus et laticlavio senatorio abdicaverit, ipsius poetae verba referre contingit:

*curia restabat: clavi mensura coacta est;  
maius erat nostris viribus illud onus.  
nec patiens corpus, nec mens fuit apta labori,  
sollicitaeque fugax ambitionis eram,  
et petere Aoniae suadebant tuta sorores  
otia, iudicio semper amata meo.*

Multos tamen amores coluit, in multas Veneris delicias cor vertit et mentem; sed, ut ipse profitetur, nullum umquam facinus peregit, ut eius liberi damnarentur mores. Hac quoque tempestate Ovidii verba audire iuvat:



*molle Cupidineis nec inexpugnabile telis  
cor mihi, quodque levis causa moveret, erat.  
cum tamen hic essem minimoque accenderer igni,  
nomine sub nostro fabula nulla fuit.*

Cum autem ad illam pervenit aetatem, qua iuvenes, parentibus relictis, suam quisque familiam constituere solent, quamvis invitus, ternas domum uxores duxit. Quarum prima est a parentibus reperta, qui filii maturitate solliciti, iuvenilibus ardoribus frenum dare cupiebant. Sed mulier, nec digna nec utilis ducta, paulo post est per divortium repudiata:

*paene mihi puero nec digna nec utilis uxor  
est data, quae tempus perbreve nupta fuit.*

Alia vero, cum esset honestis moribus et divitiis ornata, parum idonea ad perpetuum contubernium cum poeta fuit. Ideo perpaucis post annis hoc quoque matrimonium est ad finem adductum:

*illi successit, quamvis sine crimine coniunx,  
non tamen in nostro firma futura toro.*

Utraque mulier nullum sui vestigium in Ovidii animo reliquit, quia nec ad ingenium movendum, nec ad animum incendendum, nec ad mentem sollicitandam idoneae fuerunt. Neutra mulier poetae nec gaudio nec dolori, nec saluti fuit nec incommodo. Ovidio enim altera mulieris indole, altero sociae ingenio opus erat. Nam enervata mollisque animo mulier detrimenti magis quam salutis est causa. Ideo Ovidius, nulla interposita mora, utramque parentibus reddidit.

Tertia autem et postrema mulier, quam admodum iuvenem Ovidius, multo aetate et experientia maior, uxorem domum duxit, usque ad mortem cum marito vixit eiusque amore continuo flagravit. Mulier, Fabia gente orta, non solum maxima coluit virtutes, sed rebus etiam adversis omnia est conata, ut maritus, in Pontum Euxinum relegatus, domum reverteretur, quamquam eius vota, ut e poetae libris compertum habemus, irrita semper evaserunt. Nam nobili loco nata et optimis rebus instituta, quamvis mulier cum principis familia rationem haberet, omnibus temperstatibus et illis praesertim temporibus, quibus maritus Tomis tristem vitam agebat, proba fuit uxor et fidelis et nullam umquam praetermisit occasionem, quin se apud potentes principis libertos deprecationem pro mariti periculo praeberet eiusque vitam ab ipso principe deprecaretur. Sed nullus fuit vir, nulla amicorum deprecatio ea fuit, ut durum et crudele principis propositum mitigaretur.

Tam sollicitae et fideli uxori summam omnium rerum fidem semper habuit Ovidius, quem, uxore et amicis deprecantibus, Romam redeundi spes numquam reliquit, quamvis omnia uota irrita futura sciret.

Deliciis autem satiatu et poesi, felicibus tempestatibus, quibus splendor, luxus et luxuria praecipuum habebant locum, Ovidius illam laudibus afficit aetatem, qua sumptuose vivere poterat. Cum autem illud conderet opus, quod *Ars amatoria* inscribitur, merito canit:

*Prisca iuvent alios: ego me nunc denique natum  
gratulor: haec aetas moribus apta meis.  
Non quia nunc terrae lentum subducitur aurum,  
lectaque diverso litore concha venit:  
Nec quia decrescunt effosso marmore montes,  
nec quia caeruleae mole fugantur aquae:  
Sed quia cultus adest, nec nostros mansit in annos  
rusticitas, priscis illa superstes avis.*

Cum autem Ovidius XXIII aegre duceret annum, versuum amatoriorum merito Romae pernotus omnibus erat poeta. Immo ab omnibus est maximus poeta ductus. Nam scribendi facilitate et felicitate praeditus, innumera panxit carmina, magnam quorum partem, cum vitiosam et parum vel politam vel idonea ad nomen alendum putaret, igni dedit, ut ipse apertis confitetur verbis:

*Multa quidem scripsi, sed quae vitiosa putavi,  
ermendaturis ignibus ipse dedi.*

Quod, mea sententia, perpauci faciunt poetae, qui, falsa elati ac decepti spe, se optimos semper versus panxisse eosdemque longum in aevum mansuros ducunt. Ovidii praeceptum perpaucos iuvavit iuvatque.

Illa autem tempestate acre et fervens ingenium Ovidium ad *Gigantomachiam* pangendam suasit et calamum arripere iussit. Alacri animo opus incepit deque rebus a Iove gestis innumeros panxit versus, quoniam ad carmen conficiendum satis virium et oris erat ipsi. Incitatus animus ad finem carmen adduxisset, nisi puella quaedam ab illis Iovis coeptis deduxisset ac in leviores curas mentem pectusque vertisset:

*Ausus eram, memini, caelestia dicere bella  
centimanumque Gyen -et satis oris erat-  
cum male se Tellus ulta est, ingestaque Olympo  
ardua devexum Pelion Ossa tulit.*

*In manibus nimbos et cum Iove fulmen habebam,  
quod bene pro caelo mitteret ille suo.  
Clausit amica fores! Ego cum Iove fulmen omisi;  
excidit ingenio Iuppiter ipse meo.  
Iuppiter, ignoscas! nil me tua tela iuvabant;  
clausa tuo maius ianua fulmen habet.*

Cum autem nullus carminis versus ad nostram aetatem pervenerit, hoc quoque opus ignibus datum putandum videtur. Non est dubium, quin Ovidius, cum compertum haberet se ad opus conficiendum multum temporis sibi necessarium futurum et famam interea sensim minuituram, illud igni delet et aliud incipit carmen indoli suae congruens civium animis satiandis aptum. Quamvis poetae, ut ipse gloriose profitetur, satis et virium et oris esset, carmen interruptit, versus igni delet et animum ad festivioribus et felicioribus Musis vertit ea fisis spe fore, ut alium condat librum, qui *Amorum* famam vinceret et sibi humaniorum civium animos conciliet, mulierum excultarum mentes alliciat et novis amantes imbuat rebus. Ad carmina amatoria reversus, novos elegos scribit, per quos veram animi vim et indolem patefacit. Nam haud fortuito et nullo rubore vel pudore profitetur:

*blanditias elegosque levis, mea tela, resumpsi;  
mollierunt duras lenia verba fores.*

Haec conscius Ovidius scribere potest, quoniam *Amores*, in vulgus edidi, et ab electis eruditique ingeniis valde probati, poetae magnam famam comparaverant. Prior quorum editio V constavit libris; sed altera, pocos post annis confecta, illa multo est brevior, quia III tantum profert libros. Ceterum Ovidius ipse, librum foras missurus, his verbis per libros ipsos, quos loquentes facit, lectores initio monet atque hortatur:

*Qui modo Nasonis fueramus quinque libelli,  
tres sumus; hoc illi praetulit auctor opus;  
ut iam nulla tibi nos sit legisse voluptas,  
at levior demptis poena duobus erit.*

Quod enim Ovidius iniit et perfecit consilium quia, Callimacho ceterisque poetis lectis, pro certo habebat opus quo brevius eo gratius esse legentibus. Quid poeta abstulerit, quid mutaverit, quid denique addiderit, nec ipse dicit nec doctus valet explicare vir. Sed scimus per absolutos et expolitos librorum elegos Ovidium illos multos et singulares celebrasse amores, quibus ipse adulescens esset cum quadam amica fruitus. Puella enim, Corinna nomi-

ne, nova noscendi studium in multis hominibus movit, quoniam nomen in civibus oribus in dies est frequentius clariusque factum.

Ceterum Ovidius quoque, poetarum nouorum vestigia secutus, mulierem eiusque amores ullo sine pudore sub alieno vel ficto nomine ostendit. Ovidius, ut constat, hac tempestate nihil novi quod ad rem pertinet Romanorum litteris praebet, quoniam Catullus Lesbiam, Tibullus Deliam, Cynthiam suis carminibus celebrat Propertius. Quarum mulierum nomina, ut inter doctos et eruditos viros constat, sunt necessario ficta ducenda. Nihilo minus non defuerunt, qui secretiora noscendi cupiditate ducti, quam mulierem nomen celeret, inquirerent et vestigarent. Sed nullus vir, quod sciam, quis et qualis Corinna fuerit, umquam detegit.

Ovidius autem, magna comitate atque humanitate praeditus, nec singularis nec remotus nec peregrinus fuit vir: praestantissimos enim cognovit poetas, qui felici illa aetate floruerunt. Ideo coniunctissime et amantissime cum Aemilio Macro vivit, qui aves, serpentes et herbas canebat; cum Propertio, qui fido amico carmina amatoria recitabat; cum Horatio, qui, aetate proventus, adulescenti carmina legebat; cum Cornelio Gallo, a quo est vel ob carmina laudatus vel ad carmina scribenda inductus; cum Tibullo, quem his memorat verbis:

... nec avara Tibullo  
tempus amicitiae fata dedere meae.

Nullum commercium cum Vergilio habuit; sed, ut ipse acerbe graviterque dicit, praeclarum poetam Mantuam tantum vidit et valde doluit.

Paene autem adulescens Ovidius fabulae quoque tragicae contexendae, cui *Medea* titulus, operam dat. Ubi primum fabula est in vulgus prolata, lectores et auditores, concordēs atque unanimi ferax et felix adulescentis ingenium maximis adficiunt laudibus, argumentum et inventionem probant, quomodo heroida animique maerores representaverit mirantur, tantaque sunt obstupefacti facundia. Hoc quoque opus cum pangat et Medae animum eiusque motus vestiget atque inquiret, Euripidis vestigia sequitur, quoniam nec apud Graecos nec apud Romanos tam praecipuus fuit poeta, qui, cum mulierum animum exploraret, Euripidi anteponeretur. *Medea* quoque haud secus ac aliae illius aetatis fabulae non theatro sed lectori scripta est, ut apud poetam legitur:

*Carmina quod pleno saltari nostra theatro,  
versibus et plaudi scribis, amice, meis:*

*nil equidem feci, tu scis hoc ipse, theatris,  
Musa nec in plausus ambitiosa mea est.*

Illa autem elatus fama, quam *Amores* in dies augebant, Ovidius paucos post annos *Heroides* vulgo proponit. Novum quoque opus, haud secus ac prius ab omnibus magno cum studio ac favore acceptum, una et viginti constat epistulis, quas nonnullae et praeclarae mulieres, ab Ovidio vel ex historia fabulari vel ex heroum carminibus depromptae, ut amorem et dolorem patefaciant, ad fabulosos viros mittunt. Tantum opus Ovidius longo temporis spatio conficit: non est enim dubium, quin aliquot epistulae sint conscriptae ante quam *Amores* pangeret.

Multos autem post annos, quibus profecto novum et magnum consilium moliebatur, Ovidius oliud adgreditur opus et brevi temporis spatio omnium longe clarissimum ac praestantissimum in lucem edit librum, qui *Ars amatoria* vel, secundum vulgatam editionem, *Ars amandi* inscribitur. Liber, ut omnia fere Ovidii opera, integer et multis ac praecipuis manuscriptis ad nostram pervenit aetatem. Qui quidem liber brevi tam magnam fortunam poetae comparavit, qui per civium ora unus pernotus volitaret. Quod, ut litterarum Latinarum peritis videtur, damno et aerumnis Ovidio fuit.

Hoc quoque opus, in tres libros divisum, *Heroides* haud fortuito sequitur: Ovidius enim, cum hunc librum conscribat, aliquid novi et exquisiti conficit, quoniam genus elegiacum, quod nullus poeta erat antea expertus, arte vel rhetorica vel amatoria conflatur. Qua quidem re conscius, librum illum, qui *Ars amatoria* inscribitur, contextit editque.

Ceterum narrationes insertae, quas magna cum peritia in epistulis inseruerat, ad amoris scientiam recta ducunt via et ipse, occasionem nactus, amoris fit magister ac praeceptor. Quo quidem praesertim opere Ovidius apud Romanos novi scribendi generis est inventor putandus. Apud Graecos enim praeter Platonem et Xenophontem, callidi amoris magistri, sed altero quodam modo, Stoici, Cynici et Epicurei fuerunt. Apud Propertium quoque et Tibullum, maximi elegiarum scriptores, non desunt exempla, quae amantes docent, quomodo sit mulier seligenda et viri volutanti subicienda. Nihilominus vel Graecis vel Latinis reapse deerat liber, qui ratione et via doceret quod de amore esset cum viris tum mulieribus reapse noscendum.

Cum autem novi letterarum genus, apud Romanos adhuc penitus ignotum, inventor sit, Ovidius ceteris poetis, quibus erat amicitia, consuetudine, aetate et fama coniunctus, nullum pretium solvit et, merita superbia elatus, dicere potest:

*Siquis in hoc artem populo non novit amandi,  
 hoc legat et lecto carmine doctus amet.  
 Arte citae veloque rates remoque moventur,  
 arte leves currus: arte regendus amor.  
 Curribus Automedon lentisque erat aptus habenis,  
 Tiphys in Haemonia puppe magister erat:  
 me Venus artificem tenero praefecit Amori;  
 Tiphys et Automedon dicar Amoris ego.  
 .....  
 Usus opus movet hoc: vati parete perito;  
 vera canam: coeptis, mater Amoris, ades!*

Quae disticha, quibus se amorum magistrum profitetur veterisque artis, sed novo quodam modo, praeceptorem praebet, epigrammatum more videntur exarata. Opus autem, in tres libros divisum, homines docet quomodo et quibus in locis sint mulieres inveniendae, circumveniendae, conscribendae et capiendae; mulieribus contra, quibus nullus poeta antea idoneum consilium umquam dedit, quomodo quibusque artibus sint homines retinendi et subigendi praecipit. Quae cum faciat ignorare simulat mulieres illas esse natura praeditas artibus, quas, natura ipsa duce, haud insciae atque imprudentes ad homines capiendos sibi subigendos malitia atque immanitate exercent. Ideo uno eodemque tempore, cum de amoribus agat, satiricam et criticam adhibet rationem. Quae omnia Ovidius magna cum simplicitate facit et persuasione, quae ceteris de re operibus desunt. Ceterum totum per opus se illius amoris doctorem et praeceptorem profitetur, qui amantes ad matrimonium non ducit, sed delicias tantum ipsis et voluptates donat. Monet insuper poeta omnes carminis mulieres esse sanctimonia liberae putandae. Quibus quidem mulieribus, quae nullius pretii pudicitiam habent et pudorem, lascivi praeceptor amoris illam amandi artem ullo sine pudore impertit ipse.

Nonnullos autem post annos, cum ad Augustum ex Ponto scribat, propositum suum defendit et *Artem* suam ironia dissimulantiaque ex culpa eximere conatur, quoniam quidam, cum virtutem et pudicitiam simulate colant, indignati in auctorem diras voces tollunt. Ovidius contra, litterarum munere conscius, nullo modo se morum Romanorum corruptorem et eversorem ducit. Quam ob rem aperte scribit:

*Ecquid ab hac omnes rigide summovimus Arte,  
 quas stola contingi vittaque sumpta vetat?  
 'At matrona potest alienis artibus uti,  
 quoque trahat, quamvis non doceatur, habet'.  
 Nil igitur matrona legat, quia carmine ab omni*

*ad delinquendum doctior esse potest.*  
*Quodcumque attigerit, si qua est studiosa sinistri,*  
*ad vitium mores instruet inde suos.*  
*Sumpserit Annales - nihil est hirsutius illis-*  
*facta sit unde parens Ilia, nempe leget.*  
*Sumpserit 'Aeneadum genetrix' ubi prima, requiret,*  
*Aeneadum genetrix unde sit alma Venus.*  
*Persequar inferius, modo si licet ordine ferri,*  
*posse nocere animis carminis omne genus.*  
 .....  
*Sic igitur carmen, recta si mente legatur,*  
*constabit nulli posse nocere meum.*

Quae scribit Ovidius, quoniam opus illa panxit aetate, qua Augusti iussu et voluntate *Lex Iulia de maritandis ordinibus* eo vigeat consilio, ut Romani, divitiis deliciisque corrupti, ad mores pristinos redirent. Princeps enim, quamvis ipse non semper incorrupta et honesta exempla praeberet, omnibus modis cives Romanos ad virtutes et bonos mores traducere conabatur et *Ars amatoria* illis obstabat praeceptis, quae per Legem Iuliam princeps proscribat. Opus contra, eruditorum virorum vestigatorumque sententia, est provocatio vel defectio visa, ut principis iram et indignationem moverit. Sed Ovidii *Ars* nihil aliud est nisi casus amatorius, qui omnibus aetatis fuit, est eritque felix hominum vitae momentum. Sed princeps eiusque fautores de re aliter senserunt et auctorem, nullo interposito iudicio, damnaverunt. Cum Ovidium tum praesertim Octavianum fortasse fugit aut fortasse fugisse simulant omnes mulieres illis esse praeditas artes, quas insciae, natura ipsa duce, ad homines capiendos, decipiendos, fallendos ac sibi subigendos malitia atque immanitate exercent.

Statim Ovidius, quasi illius operis se paenitisset, *Remedia amoris* eo conscripsit consilio, ut homines doceret, quomodo essent mulierum blanditiae vincendae voluptatumque laquei solvendi. Mulieribus contra *Medicamina faciei* dicavit. Sed opus haud integrum ad nostram pervenit aetatem.

Quo quidem opere Ovidius amorum magister et praeceptor esse desiit et ferax ingenium ad maiora ac potiora coepta feliciter vertit. Ideo ad a. III post Chr. n., cum XLVI circiter ageret annum, vel carmini epico et heroico vel rebus Romanis magno cum animi ardore operam dat: ex poetae ingenio cum *Fasti* tum praesertim *Metamorphoses* vel *metamorphoseon libri* oriuntur. Illi elegis, hexametris heroicis constant hi; illi Romanorum calendarium, initio in XII libros divisum, *Metamorphoses*, in VX libros digestos, innumeras rerum mutationes celebrant. *Fasti* vero dies festos memorant, innumeros ritus

magnificant, quos Augustus, sollicitus atque integer patriae religionis custos et fautor, magna cum cura servare ac posteritati integros tradere conabatur. Sed *Fasti* sexto expleto libro interrumpuntur, quoniam Augustus, cui opus est dicatum, Ovidium in Pontum relegari iubet, ut poeta sui ipsius affirmat verbis:

*sex ego Fastorum scripsi totidemque libellos,  
cumque suo finem mense volumen habet,  
idque tuo nuper scriptum sub nomine, Caesar,  
et tibi sacratum sors mea rupit opus.*

Opus enim, ob necopinatam relegationem, se vitiosum et incomptum praebet, haud ordinate materiam exponit, pravum et inordinatum in modum episodica tractat exponitque; interdum denique, quod Ovidio antea numquam acciderat, quandam scribendi generis neglegentiam et incuriam ostendit. Sed Ovidius, mea saltem sententia, perfectissimis illis lectis operibus, quae perennem famam sive apud aequales sive apud posteros, ob necopinatum principis iussum nec vitia abstulit nec ea omnia, quae acria et acuta nostrae aetatis ingenia notant, abolere et opus perfectum conficere potuit, ut ipse merito queritur. Si longius in urbe aliquantulum commorandi tempus poetae fuisset, librum totum aut emendasset ac purgasset aut igni concremasset. Nihilominus opus innumeras notitias non solum de antiquis ritibus, verum de incertis fabulis prabet.

Sed omnium longe clarissimi sunt *Metamorphoseon libri*, qui auctoris doctrina, eruditione, ingenio rerumque novitate praestantissimi sunt litterarum Latinarum merito putandi. Nam Ovidius, amplissimum nomen adeptus et omnium longe maximus poeta ductus, innumeros numinum heroumque casus et mutationes, quae fabularum argumenta erant, XV libris colligare discernit. Maximos enim universi casus et eventus a rude atque indigesta mundi mole usque ad Caesarem, qui, a coniuratis transfossus, est in sidus mutatus. Consilium vero, quamvis ambitione plenum, ita poetae ingenium sollicitavit animumque incendit, ut paucorum annorum spatio praestantissimum omnium longe opus confecerit. Sed longissimum poema, quod Ovidius dicendi scribendique arte vitiosum putavit, est summo et singulari artificio confectum, ut posteris Aeneide ipsa maluerint. Ovidius enim, Roma relicta, quosdam operis locos nec retractaverit nec rescripserit nec castigaverit. Saepius enim, sed frustra, Ovidius de tam gravi queritur incommodo. Sed hoc quoque opus, quod imperitiam famam merito tribuit poetae, Tomis igni procul dubio comburisset, si in manibus habuisset. Sed dum immane



consilium molitur, Romae innumera iam exemplaria in bibliothecis privatis servabantur, quoniam divum heroumque coepta, humaniorem in modum celebrata, lectorum animos alliciebat animosque vinciebat. Ceterum Ovidius, ut in ceteris operibus, deorum hominumque libidines et coepta, quae mutationis origo fuerunt, delicatis et numerosis exprimit versibus, uniuscuiusque animi molliores et deliciores praebet flexiones.

Cum autem *Metamorphoseon libros* conficiat, dicis tantum causa Ovidius genus mutat; reapse per modos epicos et numeros eroicos numinum amores canit. Dei enim, dum terrarum regiones peragrant, haud fortuito in innuptas et pulchra modo puellas modo nymphas incidunt eorumque amoribus et deliciis omnimodis fui cupiunt. Quae coepta memorans, Ovidius expolitos semper atque elegantes condit versus, concinnas atque accuratas narrationes praebet. Nam in unaquaque operis parte, haud secus ac eximius et callidus pictor, spectacula singulari opere atque artificio confecta praebet. In his fictis et commenticiis fabellis silvae quoque, montes et flumina modo gaudent mdpd horrent. Fervida imaginatione praeditus ac ductus, Ovidius occasionem non praetermit, quin nonnullarum arborum origines memoret et, qua de causa laurus sit Apollini cara, cur in silvosis Padi fluminis ripis tam celsae extollant populi, cur Inachi filia si iuvenca facta, lepide ac dilucide narret. Sed hac quoque tempestate me sermo longius duceret. Ideo, dum ad Ovidium haud invitus revertor, ut me excusatum habeatis, oro atque obsecro.

Cum autem tantum ac tam magnum coinciperet opus, Ovidius Vergilii vestigia sequi conatur, immo praeclarum Romanorum poetam, sed altero quodam modo, aemulari et provocare feliciter temptat. Ideo nec heroum nec clarorum virorum nec regum virtutes et coepta celebrare noluit; sed per longum et continuum carmen epicum, composite ac distincte illas cecinit rerum mutationes, quas, huc illuc digestas, apud veteres scriptores cum Graecos tum Romanos invenerat. Ne quidem Graeci, qui in omnibus fere generibus summum fastigium attigerunt, tam ingentem fabularum numerum in modum nec congruentem nec convenientem umquam tractaverunt. Quod opus, quod nullum aliud est elegantius, politius, humanius, levius et gravius, est omnibus aetatibus immortalem gloriam adeptus, ut media illa quae dicitur aetate, Aeneidos quoque nomen supraverit. Nam Dantes Alagherius, qui summus et maximus est apud Italos poeta ductus, ubi primum in Vergilium incidit, haud fortuito scribit:

*mentre ch'i' ruvinava in basso loco,*

*dinanzi agli occhi mi si fu offerto  
chi per lungo silenzio parea fioco.*

Dantis quoque, ut omnes poetae, haud raro, cum de nonnullis agat viris et numinibus et quosdam memoret heroas, fabulas et notitias ex illo Ovidii opere plenis manibus depromit. Cum autem sermo longius ducat, tempus, quod omnium est pessimus tyrannus, ad Ovidii vitam revertere cogit. Qui a. VIII p. Chr. n. Augusti iussu est Romam relinquere et Tomos, quod ignotum fuit haud a Ponti Euxini oris longe oppidum, nullo temporis spatio interiecto, contendere cogit. Interea *Ars amatoria* erat sive e bibliothecis sive a recitationibus expulsa:

*quaerebam fratres, exceptis scilicet illis,  
quos suus optaret non genuisse pater.  
quaerentem frustra custos me sedibus illis  
praepositus sancto iussit abire loco.  
.....  
in genus auctoris miseri fortuna redundat,  
et patimur nati, quam tulit ipse, fugam.*

Ovidius ipse, cum Tomis tristem agat vitam, quinque libros, qui *Tristia* inscribuntur, ad principis clementiam impetrandam, annis labentibus, deinceps mittit. Per III primi libri elegiam his versibus tristem sortem queritur poeta:

*Cum subit illius tristissima noctis imago,  
quae mihi supremum tempus in urbe fuit,  
cum repeto noctem, qua tot mihi cara reliqui,  
labitur ex oculis nunc quoque gutta meis.  
iam prope lux aderat, qua me discedere Caesar  
finibus extremae iusserat Ausoniae.*

Frustra ceteros misit libros, frustra amico oravit, ut apud Cesarem intercederent, donec lassus et humiliatus hac scribere non dubitat:

*Donec eris felix, multos numerabis amicos;  
tempora si fuerint nubila, solus eris.*

Quibus de causis Ovidius sit in Pontum relegatus, stomachum Augusto moverit eiusque animum irritaverit, nec ipse dicit nec aequales tradunt nec vestigatores proferre audent. Poeta vero, cum *Tristia* ex Ponto pangat, huc illuc modo carmen modo errorem memorat. Sed hic praecipuum illum locum, quiphilologis et Ovidii interpretibus uno eodemque tempore et materiam et difficultatem praebet, referre consentaneum videtur:

*perdiderint cum me duo crimina, carmen et error,  
 alterius facti culpa silenda mihi:  
 nam non sum tanti, renovem ut tua vulnera, Caesar,  
 quem nimio plus est indoluisse semel.  
 Altera pars superest, qua turpi carmine lecto  
 arguor obsceni doctor adulterii.*

Quibus versibus lectis, ad carmen mentem parumper vertam oportet, quoniam carmen, ut omnes concordēs putant, nihil aliud est nisi *Ares amatoria*, quae statim felicem habuit exitum. Poeta enim palam se obsceni adulterii doctorem fuisse confitetur. Ceterum liber ille, ut supra memoravi, erat iam e bibliothecis publicis et a recitationibus sublatus et omnibus civibus vetatus.

Non desunt tamen, qui carmen et errorem endiadin esse censeant. Quo quidem modo Ovidius per unum librum tam foedum perfecisse crimen. Quod assertum Ovidius ipse per alios locos, eosdemque magni ponderis, refellit ac dissolvit. Sed auctor ipse, qui librum aerumnarum causa fuerit, commode atque opportune silentio praeterire malit.

Quod vero ad errorem pertinet, nullum indicium Ovidius praebet, etsi hunc magna cum animi intentione locum consideramus. Qua de causa ipse de tam gravi re taceat, quidquid dicitur, in coniectura continetur. Haec tantum verba de relegatione poeta scribit:

*cur aliquid vidi? cur noxia lumina feci?  
 cur imprudenti cognita culpa mihi?  
 inscius Actaeon vidit sine veste Dianam:  
 praeda fuit canibus non minus ille suis.  
 scilicet in superis etiam fortuna luenda est,  
 nec veniam laeso numine casus habet.  
 illa nostra die, qua me malus abstulit error,  
 parva quidem periit, sed sine labe domus.*

Ovidius autem, ut ex locis relatis comperitur, de errore eiusque gravitate tacet; sed tantum ob reverentiam erga tristem et dolentem principis animum se tacuisse dicit. Nam se inscium in errorem incidisse et poenam esse multo facinore graviorem profitetur Ovidius, qui, occasione data, inhumanum principis iussum damnare eundemque orare atque obsecrare non dubitat, ut optatam clementiam ostendat. Augustus enim, cum Ovidium nec per actionem civilem nec per causam publicam damnare nolit, nullo iudicio publico facto, Tomos ipse relegare statuit. Quo quidem modo per relegationis praescriptum insidiosam clementiam praebet, quoniam poena exilio crudelior videtur.

Quod autem ad errorem pertinet, nihil certi et veri dici potest. Alius alia sentit, alius alia dicit et omnes criminationes, quibusdam condicionibus perpensis, uno eodemque tempore aut falsae aut verae haberi possunt. Mea sententia, duo tantum causae probabiles videntur. Quarum prior indignum aliquod fuisse facinus puto, quod principis domum funditus evertit animumque turbavit. Incertum est utrum Ovidius, qui elegantissimos et delicatissimos urbis coetus frequentabat, id viderit an particeps fuerit. Temporibus illis, uti constat, haud rara in ipsius principis aula nefanda atque obscena facinora fuerunt: neminem enim latet Iuliam, principis filiam eandemque omnium mulierum longe corruptissimam et luxuriosissimam, in sumptuosam villam haud ab urbe longe esse ab ipso Augusto relegatam. Altera, priore gravior, est in Ovidii moribus invenienda. Non est dubium, quin aliquod fecerit facinus, quod *Lex Iulia maiestatis* damnaret et, quo patrato, per carmen aliquod vulgaverit.

Quarum utra causa fuerit, incertum est, quoniam Ovidius secreta tota vita continuit secumque in sepulcrum duxit.

Quamvis exul principis clementiam humiliatus peteret et quidam amici continuo intercederent, Tomis Ovidius mansit, ubi a. XVII p. Chr. n., morbis et angustiis ingravescentibus, vita cessit. Ne cineres quidem sunt Romanam collati et uxor in mariti sepulcro hos versus, quos Ovidius panxerat, scribere non potuit:

HIC EGO QVI IACEO TENERORVM LVSOR AMORVM  
 INGENIO PERII NASO POETA MEO  
 AT TIBI QUI TRANSIS NE SIT GRAVE QVISQVIS AMASTI  
 DICERE NASONIS MOLLITER OSSA CVBENT.

HORATIVS ANTONIVS BOLOGNA